

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2897

Auteur(s) : Eudes Rigaud, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Saint-Hymer, Saint-Hymer-en-Auge, dépendance Le Bec (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1266, juin

Lieu d'émission : Beaubec-la-Rosière

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Eude Rigaud, archevêque de Rouen, règle les contestations du prieur de Saint-Ymer et du curé d'Illeville au sujet des dîmes de la forêt de Montfort. Le prélat confirme les deux tiers au prieur et l'autre tiers au curé.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bréard Charles, *Cartulaires de Saint-Ymer en Auge et Bricquebec, publiés avec notices*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard, 1908, n° LXXIX, p. 45-46.

Texte établi d'après a

Omnibus hæc visuris, frater Odo permissione divina Rothomagensis Ecclesiæ minister indignus, salutem æternam in Domino Jesu Christo. Noveritis quod cum contentio verteretur inter viros religiosos priorem et conventum Sancti-Ymerii in Algia, ex una parte ; et magistrum Hebertum rectorem ecclesiæ de [Illeville] exaltera, super decimis novalium in foresta de Monteforti existentium, et supradicta contentione a dictis priore et conventu abbatia Beccensis et dicto rectore in nos alto et basso unanimiter esset compromissum, et promissum a dictis partibus quod ratum haberent quidquid super præmissis in quantum etiam nos tangebatur ordinaremus. Nos pro bono pacis dictum compromissum in nos suscipientes, auditis et intellectis hinc et inde propositis, visis etiam et diligenter inspectis privilegiis, instrumentis, et rationibus dictarum partium habitis post modum diligenti tractatu, et prudentium virorum consilio presentibus dictis partibus, coram nobis ordinationem nostram super præmissis pertulimus in hæc verba : Ordinamus quod, de terris omnibus a viginti annis citra ad agriculturam redactis usque ad hanc diem in territorio juxta Illeville de foresta de Monteforti, prior et conventus Sancti-Ymerii in Algia duas partes decimarum percipiant et recto ecclesiæ de Illeville tertiam partem totam percipiat et dicti religiosi suas duas partes in residuo ; dictis tamen terris divisivis secundum numerum acrarum et valorem earumdem. Cujusmodi divisionem, indictæ partes concorditer fecerint. potestatem faciendi eandem retinemus. Insuper dictam parochiam de Illeville usque ad terminos novalium in præsentibus existentium tantum modo extendi volumus, et non ultra ; ac eandem dictis terminis limitamus. Per hanc autem ordinationem in novabilibus in dicta foresta de cætero faciendis neutri dictarum partium jus aliquod acquiri volumus, cum decimæ novalium hujusmodi faciendorum quia dicta foresta infra certam alicujus ecclesiæ parochiam non consistit, ad nostram dispositionem pertinere noscuntur. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Actum et datum apud Bellumbeccum, die sabbati ante festum sancti Petri ad vincula, anno Domini M.CC.LXVI.